

FORMA CONFIRMATIONIS

E Pontificali Romano deprompta

Pontifex supra stola alba et mitra paratus, accedit ad faldistorium ante medium altaris, si sit in aliqua Capella, aut in alio convenienti loco sibi paratum, et sedens brevi sermone alloquatur astantes et

Confirmandos. Quo facto, lavat manus: deinde, deposita mitra, surgit, et versa facie ad Confirmandos ante se genuflexos, junctis manibus dicit:

S PÍRITUS SANCTUS supervéniat in vos, et virtus Altíssimi custódiat vos a peccátis.

℞. Amen.

Deinde, signaris se manu dextera a fronte ad pectus signo crucis, dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℞. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spírítu tuo.

Tunc, extensis versus Confirmandos manibus, dicit:

Orémus.

O MNÍPOTENS sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es hos fámulos tuos ex aqua et Spírítu Sancto, quique dedísti eis remissionem ómnium peccatórum: emítte in eos septifórmem Spírítum tuum Sanctum Paráclitum de cœlis. **℞.** Amen.

Spíritum sapiéntiæ et intelléctus. **Ṛ.** Amen.

Spíritum consílii et fortitúdinis. **Ṛ.** Amen.

Spíritum sciéntiæ et pietátis. **Ṛ.** Amen.

ADÍMPLE eos Spíritu timóris tui, et consígna eos signo Cru ✠ cis Christi, in vitam propitiátus ætérrnam. Per eúndem Dóminum nóstrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejusdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia saécula sæculórum.

Ṛ. Amen.

Pontifex, accepta mitra, sedet in faldistorio, et, inquisito cujuslibet Confirmandi nomine, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, dicit:

N. Signo te signo Cru ✠ cis:

quod dum dicit, producit pollice signum crucis in fronte illius; deinde prosequitur:

Et confírmo te Chrismále salútis: In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. **Ṛ.** Amen.

Et leviter eum in maxilla cædit, dicens:

Pax tecum.

Unctioe peracta, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim; et aqua lotionis cum pane funditur in piscinam sacrarii. Interim, dum lavat manus, legitur a ministris vel cantatur sequens

Ant. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

Ÿ. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Ŕ. Sicut erat in princípío, et nunc, et semper: et in sæcula sæculórum. Amen.

Ant. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

Antiphona repetita, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, junctis ante pectus manibus, dicit:

Ÿ. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Ŕ. Et salutáre tuum da nobis.

Ÿ. Dómine, exáudi orationem meam.

Ŕ. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobíscum. **Ŕ.** Et cum spírítu tuo.

Orémus.

DEUS, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spírítum et per eos eorúmque successóres céteris fidélibus tradéndum esse voluísti: réspice propítius ad humilitátis nostræ famulátum, et præsta; ut eórum corda,

quorum frontem sacro Chrísmate delinívimus, et signo sanctæ Crucis signávimus, idem Spíritus Sanctus in eis supervéniens, templum glóriæ suæ dignánte inhabitándo perfíciat: Qui cum Patre et eodem Spíritu Sancto vivis, et regnas Deus, in saécula sæculórum.

℞. Amen.

Deinde dicit: Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum. Et vertens se ad Confirmandos, et faciens super eos signum crucis, dicit:

Bene ✠ dicat vos Dóminus ex Sion: ut videátis bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ vestræ, et habeátis vitam ætérrnam. ℞. Amen.

Expedita Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis et matrinis annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala, et faciant bona, et doceant eos Credo in Deum, et Pater noster, et Ave Maria, quoniam ad hoc sunt obligati.

